

locis solum intendere contra aliquos antiquos Philosophos, qui ponebant omnia semper moveri, et nunquam quiescere, quod alteratio non est motus continuus, id est, non perpetuo durare, non tamen quod quamdiu durat sit discretus; quando vero dicit quod alteratio non fit per partes, sed subito, intelligitur de alteratione pro ultimo effectu, et dispositione, non absolute, et secundum se.

QUÆSTIO IV.

DE INTENSIONE, ET REMISSIONE.

ARTICULUS I.

Quid sit intensio et remissio, et in quibus formis inveniatur?

Generaliter loquendo omne augmentum, vel decrementum dicitur quantitas, in quacunque re contingat, eo quod id quod nobis sensibilius, et manifestius est in augmentis rerum, est quantitas. Tripliciter autem potest inveniri ratio ista quantitatis in qualitatibus, vel formis. Uno modo per extensionem in subjecto, et hoc solum convenit qualitatibus, quæ in hærent in subjecto habente partes quantitativas, sicut cum albedo diffunditur per aliquod subjectum, et crescit in illo, quia est in pluribus subjectis, et hoc modo dicitur qualitas magna, seu quanta per accidens quantitate subjecti. Alio modo attribuitur quantitas, seu magnitudo qualitati ex parte objecti, circa quod versatur, sicut convenit habitibus intellectus vel voluntatis, qui versantur circa aliqua objecta, et aliquando plura, aliquando pauciora comprehendunt, et secundum hoc dicuntur extendi, vel augeri in ordine ad objecta: et hæc

vocatur extensio virtualis, seu quantitas virtutis, eo quod magna virtus dicitur per ordinem ad objectum, seu pondus quod ferre potest. Tertio modo dicitur quantitas, seu magnitudo qualitatis secundum participationem majoris perfectionis penes magis et minus, et hoc pertinet ad intensionem, et remissionem, de quo videri potest S. Thomas, q. 1 de Verit. artic. xi ad 10.

De hæc ergo intensione duo supponimus in præsentis articulo, et alterum quod difficilins est disputatum. Primo supponimus, dari tale incrementum intensionis, et decrementum remissionis, quod pertinet ad quæstionem an est. Hoc autem constat ex ipsa experientia; nam videmus qualitates crescere, aut decrescere penes magis aut minus, quod non potest reduci ad alias duas extensiones, seu magnitudines dictas, nam videmus calorem, vel albedinem, aut lucem aliquando esse perfectiorem et majorem, non quia plures partes subjecti occupet, sed in eisdem, nec quia subjectum sit densius vel rarius, siquidem in eodem aere lux solis est perfectior quam lunæ, stante eadem raritate aeris, et ita hoc augmentum non pertinet ad quantitatem extensionis formalis; similiter neque pertinet ad extensionem virtuales, quia lux et calor et similes qualitates non habent diversa objecta circa quæ versantur, sed subjecta quæ informant. Relinquitur ergo, quod sit quantitas, et augmentum intensionis penes magis et minus.

Secundo, supponimus definitionem intensionis quod pertinet ad quæstionem quid est. Definiri autem potest intensio, quod est *motus ab imperfectiori esse sive statu ejusdem qualitatis ad perfectiorem eodem subjecto sensibili manente*. Remissio vero e contra a *perfectiori ad imperfectiorem*. Ita tradit M. Ba-

nez q. ii de alterat. et dicitur *ab imperfectiori esse vel statu*, ut definitio abstrahat ab omni opinione, an fiat intensio penes diversos gradus, vel diversos modos, vel diversam participationem in esse, de quibus postea dicemus. Dicitur autem *motus*, quod est genus ad alterationem, et consequenter ad intensionem, sed quia non omnis intensio fit per alterationem proprie dictam, ut in spiritualibus qualitatibus, ideo utimur generali nomine motus, et excluditur etiam per hoc acquisitio novi status in aliqua qualitate, vel forma non per motum, sed per aliquam elevationem, vel modum operandi diversum, sicut charitas, quæ est in via mutat statum in patria, non per majorem intensionem et motum, sed per novam apprehensionem objecti clare visi. Denique, significatur distinctio intensionis a simplici alteratione per hoc, quod sit ejusdem qualitatis ad perfectiorem statum seu esse, quia alteratio simplex producit ipsam qualitatem primo et per se, et non autem solum perfectiorem statum, vel esse illius.

Inquirimus autem, quænam formæ sint capaces hujus incrementi, et magnitudinis penes magis et minus, quæ est intensio et remissio? Et hæc difficultas per aliquas conclusiones resolvenda est.

DICO PRIMO: Substantia est incapax augmenti intensionis, et similiter quantitas et relatio. Sententia est expressa Philosophi et sequuntur communiter omnes ejus interpretes, nam in cap. de substantia, ponitur inter proprietates ejus non suscipere magis et minus: et de quantitate idem docet in cap. de quantitate: et de relatione etiam docet quod non suscipit magis et minus, nisi ratione sui fundamenti, sicut est intensior similitudo, quam convenientia extremorum est

major, licet formæ ipsæ seu res minus sint intensæ in se, et ita sequitur intensio relationis intensionem fundamenti proximi non remoti.

Fundamentum hujus conclusionis, in communi sumi potest, quia ad ista tria prædicamenta primo et per se non datur motus stricte dictus, scilicet qui fit secundum latitudinem positivam, intensio autem motus est. Quod si aliquis motus datur, est secundum extensionem, ut in augmentatione quantitatis, nam substantiam constat fieri per mutationem, et non per motum, cum non fiat ex eodem subjecto sensibili sed ex materia prima. Similiter quantitas, quando primo producit, consequitur ipsam generationem sine alio motu; quando autem postea extenditur admittit motum augmentationis, sed non alterationis, et intensionis; unde una pars quantitatis addita alteri, non facit perfectiorem gradum, sed ejusdem perfectionis extensionem, facit enim majus, non melius. Et hoc præsertim, quia species quantitatis variantur essentialiter penes diversam terminationem, ut patet in numeris, et figuris, in bicubito, et tricubito, etc. ergo de earum ratione est indivisibilitas, seu terminatio, ergo non admittunt in eadem specie latitudinem. Ad relationem denique non datur per se motus, ut in v. Phys. dicitur, et ibidem probavi-mus q. xix, solum enim relatio resultat posito fundamento, non ad illam motus datur, ita non habet intensionem per se primo, sed si habet est consecuta ex fundamento.

Secundo, in particulari sumitur fundamentum ex D. Thoma in i-ii, q. lxi, artic. 1, quia videlicet forma ex qua sumitur species rei quam actuat, non potest non consistere in indivisibili, et consequenter non suscipere magis neque minus, si enim id quod speciem constituit

haberet latitudinem vel tota illa latitudo requireretur ad constituendam speciem, vel sine tota posset species constitui, etiamsi aliquid illius deesset. Si primum non salvatur divisibilitas in tali forma, siquidem non constituitur species per ipsam ejus latitudinem, sed totalitatem et consummationem ejus, quod utique indivisibilitatem dicit, ultimum enim semper est indivisibile. Si secundum, ergo sine aliqua parte illius latitudinis salvatur species, et sic illud, sine quo salvatur non spectat ad constitutionem speciei, neque est prædicatum quidditativum, cum sine ipso quidditas salvetur.

Ex quo deducitur, formam substantialem non suscipere magis et minus, quia per se intrinsece ordinatur ad constituendam speciem substantialem rei, cujus est forma. Et licet qualitas et alia accidentia etiam habeant suam speciem, et essentiam, tamen formæ illæ non ordinantur ad constituendam speciem sui subjecti, quod informant, sed supponunt constitutam, et ita per se primo non constituunt speciem ejus in quo sunt. Forma autem substantialis constituit per se primo speciem ejus in quo est et propter hoc forma substantialis habet repugnantiam cum intensione, seu receptione magis et minus, non autem ex hac parte id habet forma accidentalis, licet ut de facto intensione ei conveniat, plures aliæ conditiones requirantur: sed sufficit pro nunc quod forma substantialis in eo, in quo invenitur dat speciem essentialem et per se; forma autem accidentalis non, sed supponit speciem constitutam. Unde signanter D. Thomas loco citato non dixit ideo formam substantialem non suscipere magis et minus, quia habet speciem, vel dat illam quomodo-cunque, sed quia participans talem

formam, habet speciem secundum ipsam. Quare respiciendum est ad munus quod exercet forma in suo participante, seu in suo subjecto, in quo recipitur; si enim subjectum ita respicit aliquam formam, quod per ipsam habet speciem suam, et constitutum suum, talis forma in tali participante non suscipit magis et minus. Formæ autem aliæ, quæ ita adveniunt subjecto, ut per eas participans non habeat speciem, sed potius speciei constitutæ adveniant, ex hac parte non repugnat, quod aliquam latitudinem habeant in tali subjecto, non obstante quod habeant aliquam speciem, sed non constituentem ipsum subjectum in quo participantur, et ideo ex tali participatione in subjecto non repugnat latitudinem penes magis et minus habere.

Quod si dicas: Nam omnis species constituit in aliquo indivisibili, sunt enim species sicut numeri, qui quolibet addito, vel subtracto variantur. Respondetur aliud esse quod species quantum ad sui constitutionem consistat in indivisibili, aliud quod per ipsum constituatur ipsum subjectum participans talem formam, vel quod ipsa indivisibilitas sit aliquod prædicatum ex constitutivis talis speciei, hoc enim non invenitur in omni specie, et ideo non omnes repugnant divisibilitati, et latitudini, quam habent in participatione subjecti, licet dicatur quælibet species in indivisibili consistere propter integritatem, quam requirit, omnium prædicatorum essentialium ad sui constitutionem, non tamen omnis species divisibilitatem excludit ex parte participationis subjecti unde sumitur latitudo intensionis, ut dicemus statim.

Dico secundo: In sola qualitate invenitur intensio, non tamen in omni specie qualitatis. Et quidem loquendo de intensione physica,

quæ est species alterationis, non est dubium, quod sicut alteratio non datur nisi in prædicamento qualitatis ita neque intensio ejus species. Sed tamen ne aliquis dicat quod intensio potest invenire in spiritualibus, et non solum in alteratione, ideo generalius probanda est conclusio. Et in primis quod in hoc prædicamento invenitur intensio saltem quoad aliquas ejus species, nullo modo dubitari potest, cum manifestæ nitatur experientiæ, sicut videmus calorem aliquando magis intendi aliquando remitti, et idem est de aliis primis qualitibus et de qualitibus mediis, ut colore, raritate, et densitate et similibus.

Discurrendo vero per species istius prædicamenti, quæ sunt capaces intensionis non solum alterativæ (hæc enim ad solum tertiam speciem reducitur sicut ipsa alteratio) sed etiam communiter dictæ, constat in primis, quod habitus et dispositio est capax intensionis, quia habitus virtutum aliquando sunt ferventiores aliquando remissiores, et similiter scientia aliquando est profundior et efficacior, aliquando obtusior, non solum penes extensionem ad diversas conclusiones, sed circa eandem veritatem potest dari major claritas, et resolutio ad sua principia, quod perinet ad majorem intensionem, et ita denominatur aliquis magis sciens, vel magis virtuosus, et hoc etiam extenditur ad supernaturales habitus, sicut de charitate dicitur ad Philip. 1: *Oro ut charitas vestra magis ac magis abundet*: Apoc. ultimo: *Qui justus est justifietur adhuc*, et denique in justitia accepta crescere sanctificatus definit Concilium Tridentinum sess. vi, cap. x.

Quod attinet ad secundam speciem, aliqui existimant, non suscipere magis et minus, ut intellectus et voluntas, potentia visiva, etc.

quia sunt propriae passionem, et immediate sequuntur essentiali rei per dimanationem, non autem per motum, et secundum contrarietatem latitudinis conveniunt subjecto. Oppositum tenet Magister Bannez, 1 de Gener. cap. iv, quæstion. i, conclusi. ultima, ponitque exemplum in potentia visiva, quam constat magis ac minus suscipere, et modo esse acutioris visus, modo hebetioris. Certe aquila videt intensius, quam homo, et inter homines, quidam melius et fortius alii, et incomparabiliter videbunt acutius oculi ejusdem hominis post resurrectionem, quam modo. Nec obstat, quod sint propriae passionem animæ, quia etiam calor, et siccitas aliæque primæ qualitates sunt proprietates elementorum, et tamen suscipiunt magis et minus. Cajetanus 1-II, quæstion. lxxi, artic. 1, in fine mediæ via incedit, et dicit quod potentia naturales, quæ consequuntur immutabiliter substantias non intenduntur, sicut neque ipsæ substantiæ; quæ vero non immutabiliter consequuntur, sed dependenter ab aliqua alteratione, ut durum et molle, aliæque similia non inconvenient, quod suscipiant magis et minus. Et quia potentia affixæ organici corporis dependent a qualitibus alterationis, quibus organa temperantur, ideo videtur, quod illæ possunt suscipere magis et minus, sicut potentia visiva potest esse acutior, et similiter auditus, etc. Et videtur hæc sententia satis rationabilis, non enim est ratio, cur non suscipiant magis et minus hujusmodi potentia, quæ a qualitibus primis, vel alteratione dependent, præsertim cum experientia suffragetur, quæ in illis intensionem et remissionem sentit, ut in potentia visiva, et molli et duro, et aliis constat. Nec obstat, quod per generationem instantaneam fiunt, quia etiam aliqua

quæ instantaneæ fiunt, possunt intendi ut lux et actus spirituales intellectus et voluntatis. Quod autem aliqua potentia non intendatur, ideo est, ut Cajetanus dicit, quia immutabiliter sequuntur ad aliquam naturam, id est, independenter a qualitatibus alterativis, et præsertim quæ alicui conveniunt secundum ultimum gradum constitutum naturæ, ut intellectus et voluntas ad gradum rationale, non suscipiunt magis et minus, quia ipse gradus ultimationem quamdam dicit. Itaque non est hoc regulandum per hoc, quod aliqua qualitas sit propria passio vel non, sed per hoc quod aliqua indivisibilitas sit de ratione alicujus formæ vel non sit, ut supra insinuavimus. Et ita quia quædam potentia sunt immediate consecutæ ad substantiam, et independentes ab aliqua alteratione, ideo aliquæ non recipiunt latitudinem, secundum magis et minus, aliæ vero quæ non ita immediate consequuntur, neque independentes sunt ab aliqua alteratione et primis qualitatibus recipiunt magis et minus ratione earum.

Quod attinet ad tertiam speciem qualitatis, non est dubitandum in illa posse inveniri intensionem eamque physice alterativam, siquidem in tertia specie qualitatis, ut probavimus, questione præcedenti invenitur proprie alteratio physica, et consequenter intensio inveniri potest, quæ est ejus species, idque etiam ad sensum patet calore, et frigore alisque qualitatibus sensibilibus, quæ ad istam speciem pertinent.

Denique, in quarta specie qualitatis non invenitur motus intensionis, quia de ratione figuræ, quæ ad talem speciem pertinet, est terminatio quantitatis, ex qua resultat, et hæc variatur in specie, quæcunque varietate terminationis facta, terminatio autem secundum aliquid in-

divisibile fit, et ita non compatitur latitudinem intensionis.

DICO ULTIMO: Præter intensionem quæ est motus secundum magis et minus et præter extensionem per partes quantitativas corporis, datur etiam augmentum extensivum in aliquibus quantitatibus non penes partes subjecti, cui inhæret, sed penes objecta quæ attinguntur, quia sunt objecta inadæquata, et secundum quod aliquis habitus diversa objecta attingit, magis dicitur augeri extensive. Ita sumitur ex D. Thoma, I-II, q. LI, art. 1 ad 2 et II-II, q. XXIV, art. V, ubi docet quod habitus quidam augentur per auditionem respectu objectorum, sicut scientia quæ paulatim addiscitur, augetur de novo, circa diversas conclusiones, quas antea non attingebat, et hoc augmentum non est intensio; quia non versatur circa eandem veritatem sed circa diversas: intensio autem scientiæ fit per hoc quod clarius et profundius eandem veritatem comprehendat. Circa hoc augmentum extensivum nota tres positiones D. Thomæ. Prima, quod tale augmentum non contingit in omnibus formis seu qualitatibus, sed in illis quæ specificantur ab aliquo extrinseco, seu dicuntur ordinem ad aliud. Ita docet I-II, quæstion. LII, art. 1, in fine corporis. Secunda est, quod neque in omnibus habitibus dicentibus ordinem ad objectum specificans, invenitur istud augmentum; charitas enim dicit ordinem ad objectum, nec tamen admittit additionem per augmentum extensivum, ut docet S. Thomas II-II, quæst. XXIV citata, eo quod quæcunque minime charitas implet totam legem, et omnibus tentationibus resistit, et sic quilibet attingit omnia objecta, scilicet Deum et proximum, non ergo fit major per extensionem ad objecta. Scientia vero indiget ista exten-

sione, quia per distincta media procedit ad distinctas conclusiones probandas, licet omnia coordinata sint inter se, et sub eodem lumine ideoque ad eundem habitum spectant, sed diversam explicationem objecti petunt et distinctas species, vel ordinationem earum, ac distincta media probativa, de quo latius diximus in Logica quæst. XXVII, art. III.

Quod si dicas: Nam etiam virtutes morales etiam si sint infusæ possunt habere novam difficultatem circa diversa objecta partialia, ut in loco citato Logicæ diximus, imo inde argumentum sumpsimus ad probandum, quod scientia est simplex habitus, licet vincat distinctas difficultates inadæquatas, ergo falso et inconsequenter dicimus in præsentibus, virtutes morales non suscipere additionem, sed solum scientiam.

Respondetur quod ut diximus citato loco Logicæ in solutione ad confirmationem primi argumenti, virtutes infusæ ut charitas et fides possunt habere diversam difficultatem circa diversas materias, non ex parte ipsius virtutis, sed ex parte operantis, quæ est difficultas accidentalitatis, et tamen unica qualitas simplex sufficit ad illas superandas, similiter ergo sufficit in scientiis ad superandas distinctas difficultates circa distinctas conclusiones, licet requiratur ad illas diversa motiva inadæquata, eo quod uniuntur sub eadem ratione formali et lumine, sunt enim coordinata inter se illa motiva, quatenus unum deducitur ex alio. Itaque ducitur efficax augmentum a simili ad probandum, quod una qualitas sufficit ad attingendum diversas conclusiones, licet quælibet habeat suam probationem et motivum distinctum, et diversam difficultatem ex parte ipsius medii, et non solum ex parte operantis, quia adhuc restat locus unitati habitus, quia salvatur principalis ratio,

unde sumitur unitas ejus, nempe eadem ratio formalis scientifica, sub qua omnia illa motiva, et probationes coordinantur, et continentur. Unde si non repugnat, quod qualitas una attingat distinctas materias, et vincat distinctas difficultates ex parte operantis, dummodo servetur eadem ratio formalis, ut patet in virtutibus, etiam non repugnabit stante unitate rationis formalis, quod eadem qualitas attingat diversas conclusiones et vincat distinctas difficultates requirentes distincta media sub eadem unica ratione formali et lumine ordinata.

Tertia propositio est, quod hoc augmentum extensivum dicitur a D. Thoma fieri per additionem, quæ augetur habitus secundum se, intensio vero per radicationem in subjecto, et non per additionem, non quia nova qualitas addatur in augmento extensivo; id enim negat S. Thomas I-II, q. LIV, art. IV, sed quia additur novum augmentum objectivum, et quia ordo ad objectum dicitur convenire habitui secundum se, participatio vero et radicationis intensionis fiat per ordinem ad subjectum in sententiâ D. Thomæ, ideo ad distinguendum unum augmentum ab alio dicitur illud augmentum fieri per additionem, hoc vero non, quia ibi additur novum objectum, et nova explicatio habitus ad illud, hic vero non additur novum subjectum, sed in eodem fit intensio, nec etiam nova entitas qualitatis, et ita ex nulla parte fit additio.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur: Quia non stat quod intensio augeat qualitatem secundum magis et minus, nisi ipsa species et essentia qualitatis varietur, ergo ratio intensionis explicata est nulla. Antecedens probatur, quia

illud in quo qualitas fit magis et minus, et ipsa propria ratio et species qualitatis, species autem sunt sicut numeri, ut quolibet addito, vel subtracto variantur. Si dicatur fieri intensiorem per magis et minus non in ipsa ratione essentiali, et specifica, quæ consistit in indivisibili, sed in aliquo extrinseco, ut in additione gradus vel entitatis novæ, aut in majori participatione, vel radicatione de subjecto, contra est, quia in primis intensio non potest fieri per additionem novæ qualitatis ejusdem speciei, ut dicemus articulo sequenti: diversa autem participatio in subjecto et radicatio, non potest fieri secundum aliquid accidentale, sed secundum ipsam essentiam qualitatis, et oppositum dicit D. Thomas esse propriæ vocis ignorantiam II-II, quæstion. XXIV, artic. IV ad 3, et quæstion. 2 de Virtut. art. XI, ergo in ipsa essentia fit variatio per intensiorem. Deinde, quia si intensio non fit secundum variationem in ipsa ratione essentiali seu specie qualitatis, sed in aliquo extrinseco, vel pertinente ad individuationem, sequitur quod formæ substantiales possint intendi, quia potest salvari indivisibilis species quam præbet forma cum augmento penes magis et minus in aliquo extrinseco individuali, ut quia perfectiori modo uniantur subjecto vel sunt radix perfectioris modi operandi, cur ergo in illis non erit augmentum intensiōis? Et idem argumentum fieri potest de quantitate, quia secundum diversum modum terminandi subjectum potest perfectius et imperfectius participari in subjecto modo quodam extrinseco, et non pertinente ad intrinsecam speciem, cur ergo non recipiet magis et minus?

Respondetur negando antecedens. Et ad probationem dicitur per intensiōem non variari speciem, sed mo-

dum speciei in actuando subjectum, et perfectius reducendo de potentia ad actum, ut sequenti articulo dicitur. Ut autem additio aliqua, vel subtractio variet speciem alicujus formæ debet addere vel subtrahere aliquod prædicatum quidditativum, vel modum talium prædicatorum intrinsecum, et essentialiter requisitum, non autem addere vel tollere solum aliquem modum diversæ participationis in subjecto, vel additionem novæ entitatis quasi integralis, sicut videmus in substantia materiali plures vel pauciores partes integrales addi, vel subtrahi, sine variatione speciei.

Ad primam replicam dicitur, non fieri intensiōem per additionem novæ entitatis, sed per majorem radicationem in subjecto, ut dicemus sequenti articulo. Dicit autem D. Thomas ignorare propriam vocem, qui dicunt augeri formam per radicationem in subjecto, et non secundum essentiam, quia radicationem ipsam intelligebant non pertinere ad entitatem accidentis, cum tamen entitas accidentis ex se postulet inherere, et participari in subjecto, et sic magis radicari sine dubio entitatem ipsam involvit, et ita inquit D. Thomas in II-II locato citato, quod nihil est aliud ipsam secundum essentiam augeri, quam eam magis in esse subjecto, quod est magis eam radicari. De quo plura artic. III.

Ad secundam replicam respondetur ob stare formæ substantiali ne intendatur, quia non habet latitudinem et contrarietatem per quam sit capax motus, et consequenter intensiōis, ut jam supra dictum est. Et licet species indivisibilis formæ stare possit cum augmento divisibili secundum magis et minus, hoc tamen in forma substantiali locum non habet, quia non solum in se habet speciem, sed constituit suum

compositum, quod informat in specie, unde neque ex parte suæ speciei, neque ex parte suæ participationis, et subjecti participantis, latitudinem fundat, sed si aliquo modo variatur, tota species variatur in se et in participatione subjecti. Secus est in accidente, per cuius participationem subjectum ipsum non constituitur in sua essentiali specie, sed constitutum supponitur, unde ex hac parte non impeditur forma accidentalis intendi et remitti. Nec tamen ex eo sequitur, quod omnes formæ accidentales possint intendi, aut remitti, si alias conditiones non habeant, ut contrarietatem seu latitudinem, ita quod indivisibilitas in constitutione illarum non sit intrinseca, et de ratione earum sicut in constituendis speciebus quantitatis supra advertimus, et in aliis speciebus qualitatis latitudine carentibus, et indivisibilitatem includentibus.

Quod si dicas: Aristotelem in VIII Metaph. tex. X, et S. Thomam ibi lect. III, dicere, quod materia forte suscipit magis et minus, respondet D. Thomas I-II, quæst. LII, art. I, id intelligi de materia secundum materiales dispositiones non secundum suam substantiam, secundum quam componit cum forma indivisibilem speciem naturæ.

Secundo objicies: Qualitas secundum se et antecedenter ad respectum ad subjectum habet contrarietatem, verbi gratia, cum frigore, quia habet contrarietatem cum illo, quam non emendicat a subjecto, sed ubi est contrarietas est maxima distantia, ergo etiam est latitudo secundum magis et minus, et consequenter intensio, et remissio; imo ista contrarietas formarum solum est penes gradus, quia in gradibus remissis non contrariantur qualitates, sed in intensis, in quibus solum se non compatiuntur, ergo non per ordinem ad subjectum dicuntur habe-

re magis et minus, sed secundum se. Item si Deus separaret albedinem nivis et albedinem hominis, perfectior esset illa quam ista, et non per radicationem in subjecto, quia extra illud sunt, ergo secundum se; et sic non repugnabit substantiæ intensiōem habere. Denique, quia eadem est albedo in concreto et in abstracto: ergo si in abstracto non intenditur nec in concreto, vel e contra si in concreto intenditur etiam in abstracto. Quod si accidens in concreto, ut album sumatur non pro forma existente in subjecto, sed pro composito ex corpore et albedine, hoc non intenditur, quia aliquid quod includit, scilicet corpus non intenditur.

Respondetur quod licet aliquæ qualitates secundum se fundent contrarietatem ut inter formam et formam, et non solum secundum participationem subjecti (licet exerceri non possit contrarietas, nisi in subjecto, quia contraria in eodem subjecto mutuo se expellunt) tamen latitudo et distantia penes magis et minus in intensiōe formarum non sumitur penes contrarietatem aliquam inter formam et formam, sed penes latitudinem participationis, et radicationis formæ in eodem subjecto. Et quando dicitur, quod ubi est maxima distantia etiam est latitudo penes magis et minus, respondetur quod est penes magis et minus in diversis formis, quæ non sunt extremæ, sed mediæ inter extrema contraria; magis autem et minus in eadem forma non fundat contrarietatem, et distantiam nisi respectu subjecti, in quo radicitur, et participatur; atque ita contrarietas inter formam et formam, sive penes maximam distantiam, sive penes formas medias convenit formis secundum se, distantia autem penes magis et minus in eadem forma, non convenit ei nisi secundum

diversam participationem in sub-
jecto. Contrarietas ergo inter for-
mam et formam provenit ex ipsa na-
tura talium formarum, licet statum
perfectum requirat, ut contrarietas
exerceatur, quod non fit nisi in gra-
dibus perfectis, quia imperfecti mo-
tus compatiuntur in eodem sub-
jecto, ut latius dicemus infra quæst. x.
Ad id vero quod dicitur de albedine
hominis, et nivis separata, respon-
detur, quod una illarum erit inten-
sior altera, non propter majorem ra-
dicationem actualem in subjecto,
qua carent, sed propter aptitudi-
nalem quam retinet ad ordinem
quem dicunt ad subjectum. Quando
autem D. Thomas dicit albedinem
separatam habere omnem perfectio-
nem possibilem et non posse inten-
di, loquitur de albedine si esset sub-
sistens, et neque actu, neque apti-
tudine respiceret subjectum. Deni-
que, ad id quod dicitur de albedine
in abstracto et in concreto dicimus,
quod est eadem forma, sed non in
eodem statu, nec cum eodem res-
pectu, quia in concreto respicit sub-
jectum, in abstracto relinquit; unde
dicit D. Thomas I-II, quæstion. LIII,
art. II ad 3, quod intensio et re-
missio tribuitur accidentibus in con-
creto, et ita non dicitur magis al-
bedo, sed magis album: album ve-
ro pro composito non intenditur ra-
tione totius, sed ratione partis, scilicet
ratione formæ, ut communica-
bilis subjecto.

ARTICULUS II.

*Utrum intensio fiat per additionem
gradus ad gradum, vel per majorem
radicationem in subjecto?*

Conveniunt fere omnes, ad inten-
sionem qualitatis, aut requiri, aut
consequi majorem aliquam radica-
tionem in subjecto, quatenus quali-
tas intensa firmior est, et tenacior

in subjecto, et hoc est radicatio.
Cæterum difficultas est, an ad istam
firmitatem quæ etiam augmentum
est qualitatis, requiratur additio no-
væ entitatis, seu formæ ad eum mo-
dum, quo fit augmentum in quanti-
tate addendo novam quantitatem,
an vero sine additione novæ entita-
tis per additionem novi modi fiat
hæc major radicatio, et de ipso mo-
do etiam est difficultas, an sit novus
modus addens novam vim informa-
tivam, seu rationem formalem in-
formandi ipsi formæ, an vero solum
addatur novus modus, qui sit nova
explicatio, seu applicatio ejusdem
formæ sine nova rationis formalis
additione. Et utimur nomine *gradus*
communiter in omni sententia, quia
ly *gradus* non solum significat di-
versam entitatem superadditam, sed
etiam diversum modum, et ita ge-
neraliter perfectionem intensionis
nomine gradus designamus, sive
fiat per additionem entitatis et for-
mæ, sive per additionem modi, quia
etiam diversus modus graduat. Un-
de Cajetanus qui additionem ab in-
tensione relegavit I-II, q. LII, art. I,
tamen expressionem graduum non
abhorrui, ut ibidem patet §. Ad e-
videntiam.

In hac ergo parte præcipuæ sen-
tentia reducuntur ad duas. Prima,
quod intensio sit secundum additio-
nem unius qualitatis ad aliam, quæ
additio cum non corrumpat præce-
dentem, sed illi uniat, et compo-
nat cum illa, habetse tanquam
partialis qualitas, sicque imaginatur
hæc sententia intensionem qua-
litatis ad modum augmenti quanti-
tatis. Secunda sententia docet, quod
intensio fit sine additione novæ qua-
litatis seu formæ, sed per ejusdem
communicationem majorem in sub-
jecto, quæ novam terminationem
seu modum inducit in qualitate. Pri-
mam sententiam sequitur Scotus in
I, distinction. XVII, quæstion. III, et

ex recentioribus Fonseca, Suarez,
Vazquez, Rubius, Granados, et alii
quos citant Carmelitani hic disput.
IV, quæst. VIII. Secundam sequitur
S. Thomas in I, dist. XVII, q. II, ar-
tic. II, et quæst. I de Virt. art. XI, et
I-II, q. LII, art. II, et II-II, q. XXIV,
art. V, et communiter sequuntur om-
nes Thomistæ.

Cæterum in utraque sententia ex-
plicanda plures alia sententiæ divi-
duntur. Nam circa primam senten-
tiam quidam existimant illas par-
tiales entitates seu gradus, qui for-
mam intensam constituunt esse
ejusdem rationis et æqualitatis, nec
plus habere gradum secundum vel
tertium, quam primum, reddi au-
tem secundum, quia præsupponit
primum, cui superadditur, et sic de
reliquis. Alii vero existimant gradus
illos esse diversæ rationis, et gra-
dum secundum non esse ejusdem
perfectionis, et æqualitatis cum pri-
mo. Ita Pater Suarez, disp. XLVI
Meta. p. sect. I, a num. XXIX. Ad
hæc adduntur indivisibilia, quæ is-
tos gradus tanquam partes uniant,
et similiter in ipsis gradibus datur
latitudo secundum partes aliquotas
finitas, et secundum partes propor-
tionales in infinitum. Et uno ver-
bo, omnia considerantur ad mo-
dum augmenti in quantitate. Sunt
tamen qui subordinationem admit-
tant istorum graduum inter se; ita
ut secundus præsupponat primum,
et tertius secundum, naturali qua-
dam subordinatione, et dependentia,
ut a materiali dispositione, et sic ha-
bent inæqualitatem individuaalem,
de quo videri potest Murzia, disp.
II de alterat. q. V. Omitto senten-
tiam illam Scoti antiquiorem cujus
meminit S. Thomas citato loco sent.
art. I, et postea secutus est Duran-
dus in I, dist. XVII, q. V et VII et alii,
quod intensio producat novam qua-
litatem totalem destruendo anti-
quam, hæc enim sententia non po-

nit eandem qualitatem intendi, et
remitti, sed diversam generari et
corrumpi.

In sententia autem D. Thomæ ex-
plicando non parum etiam labora-
tur circa id quod intelligitur nomi-
ne radicationis, seu communicatio-
nis majoris, et communiter intelli-
gitur esse aliquem novum modum,
sed valde dividuntur Auctores in
explicando, quis modus sit, nam
aliqui ponunt esse novum modum
qui præbeat qualitati novam vim in-
formandi subjectum quasi rationem
formalem se communicandi. Alii
vero solum ponunt modum novæ
terminationis, vel explicationis for-
mæ in subjecto quod pertinet quasi
ad unionem, et applicationem ip-
sius. Unde aliqui dixerunt esse no-
vam unionem, seu inhærentiam
qualitatis; alii novam existentiam;
alii novam reductionem subjecti de
potentia ad actum, esseque distinc-
tum modum ab inhærentia, et unio-
ne; alii putant consistere hunc mo-
dum in eo, quod plus abjiciatur de
forma contraria, ita quod ipsa forma
purior, et impermixta maneat. Et
redit hic eadem difficultas circa
præcedentes sententias, an videlicet
isti novi modi habeant inter se ali-
quam subordinationem, nec sint
ejusdem rationis et æqualitatis, an
vero omnes æquales sint, et solum
dicatur secundus vel tertius, quia
præsupponit priorem.

DICO ERGO PRIMO: Intensio non
fit per additionem alicujus novæ for-
mæ, vel qualitatis sive quæ corrup-
pat pristinam et novam producat,
sive quæ supponendo priorem,
aliam producat tanquam partialem
illique conjunctam, quæ majorem
efficiat. Hæc conclusio est expressa
S. Thomæ locis nuper allegatis, ubi
ex professo questionem istam trac-
tat, et resolvit, et quidem quod non
producat forma quæ corrumpat
præcedentem, communiter ab om-

nibus admittitur, quia illa qualitas præcedens non potest destrui a superveniente, quia non est illi contraria, sed ejusdem speciei, nec ex defectu subjecti, vel causæ conservantis, quia manent, ut supponimus: et quia alias ut diximus non esset intensio augmentum, et perfectio ejusdem qualitatis, sed generatio novæ, sicut non posset dici quantitas augeri si corrumpetur præcedens, et alia de novo produceretur.

Secunda vero pars, quod scilicet non fiat in intensione nova pars formæ, seu qualitas quæ addatur præexistenti, manifeste est D. Thomæ et præsertim videri potest, loco citato ex 1-11 solum ad 2 ubi inquit: « Quod causa augens habitum, facit quidem semper aliquid in subjecto, non autem novam formam, sed facit quod subjectum perfectius participet formam præexistentem. » Et ad 3 inquit: « Quod id quod est minus calidum, aut album non est in potentia ad formam, cum jam actu formam habeat, sed est in potentia ad perfectum participationis modum, et hoc consequitur per actionem agentis. » Et 11-11, q. XXIII, art. v: « Formam, inquit, esse majorem est eam magis inesse susceptibili, non autem aliam formam advenire, hoc enim esset, si forma haberet aliquam quantitatem ex se ipsa non comparatione ad subjectum. » Ergo secundum D. Thomam major radicata in subjecto non fundatur in nova entitate formæ, sed in novo modo participationis formæ. Unde non solum negat Thomas fieri intensiorem per additionem, ne videatur ponere distinctionem formam, eo quod ad intensiorem pertinet quod eadem forma remaneat; sed ulterius se explicavit D. Thomas quod non fit per additionem intensio, quia non acquiritur nova forma, sed novus modus, seu participatio formæ, ergo

sentit absolute, non fieri intensiorem per novam entitatem, sed per modum.

Nec obstat, quod aliqui objiciant dixisse D. Thomam, ignorare propriam vocem, qui dicunt qualitatem intendi secundum majorem radicationem in subjecto, et non secundum essentiam. Ex quo inferunt sensisse sanctus doctor quod intensio non fit sine additione entitatis. Cæterum sensus D. Thomæ clarissimus est, redarguit enim eos, qui volebant qualitatem intendi in subjecto sine hoc, quod intrinsece in se perficeretur; sed solum quia subjectum diversimode se haberet in participando formam, ipsa forma omnino invariata manente, inde ipsa quod repugnat, et est ignorare propriam vocem, nec enim forma potest communicari subjecto per solam extrinsecam denominationem, sed per intrinsecam immutationem, siquidem perficitur forma ex ipsa communicatione subjecti, siquidem ad hoc intrinsece ordinatur ejus essentia, ut subjectum informet, unde loco citato ex 11-11, art. IV ad 3, postquam dixit D. Thomas quod ignorant propriam vocem qui dicunt charitatem non augeri secundum essentiam sed secundum radicationem, vel fervorem subdit: « Quia nihil aliud est eam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse in subjecto, quod est magis radicari in subjecto, » ergo augeri secundum essentiam non est apud D. Thomam augeri per additionem, sed est idem, quod magis radicari et inesse subjecto, quod non sine mutatione ipsius entitatis intrinsece invenitur in forma, per modum scilicet ei additum.

Supposito ergo quod hæc est sententia S. Thomæ, restat tradere fundamentum hujus veritatis. Ad illud autem tradendum supponit S. Thomas tanquam certissimum, quod si

augmentum intensiorem fiat secundum additionem formæ ad formam, impossibile est hoc intelligere sine aliqua distinctione, et numero formæ ad formam, idem enim sibi ipsi addi non potest, et ipsa separatio graduum quando qualitas remittitur et perdit illos, manifeste ostendit distinctionem aliquam ejus quod perditur, et ejus quod remanet. Quo supposito duo sunt, quæ in sententia D. Thomæ impossibilem reddunt intensiorem per additionem qualitatis ad qualitatem. Primum, quia secundum ipsum D. Thomam, non possunt duo accidentia numero solo distincta, et ejusdem speciei recipi in eadem parte, et indivisibili subjecto, ut ostendemus infra questione IX. Si autem intensio fieret per additionem novæ qualitatis ejusdem speciei, necessario reciperet idem subjectum diversa numero accidentia, eo quod quælibet ex istis qualitatibus, si sola sumatur, et sine conjunctione cum altera, est sufficiens facere unum individuum accidentis, ut patet quando ante additionem manebat qualitas in subjecto individuata sine illa nova parte superaddita, id ergo quod postea superadditur, de se etiam individuari postulat a tali subjecto sicut præcedens, ergo jam sufficienter possunt duo accidentia individuari ab eadem parte subjecti; per accidens autem est quod conjungantur in unum. Et in hoc fundatur id quod D. Thomas 1-11, quæst. LII, art. II citat ex Philosopho in IV Physicor. text. LXXXIV, quod non potest intensio fieri per additionem: « Quia ex calido fit magis calidum nullo addito in subjecto calido, » repugnat enim D. Thomas pro eodem, quod addatur calor, et quod addatur calidum, eo quod calor non potest addi nisi addatur distinctum subjectum a quo individuatur, et sic perinde est addi calorem, et addi calidum. Sed de

hoc infra tractandum est dicta questione nona, ideo in præsentem non oportet illud expendere.

Secundum ergo principium in doctrina D. Thomæ est, quia nulla forma potest habere quantitatem, et partes nisi per ordinem ad subjectum, et per accidens, non autem per se, quia alias esset composita ex pluribus partibus, et sic non esset pura forma, sed aliquid constitutum, et compositum, quod est contra rationem formæ, quæ debet esse aliquid simplex, et pars componens, non autem res composita. Si autem forma adveniens non componit cum præcedenti, nec constituit unum per se, solum erit qualitas intensa unum per accidens, id est, plures qualitates remissæ in eodem subjecto constipate, unde non esset ita una qualitas intensa sicut remissa, nec motus intensiorem esset circa eandem qualitatem, quæ magis aut minus esset talis, sed circa diversas; et ulterius qualitas operativa (sicut calor) quando esset intensa non posset unica operatione operari, sed deberet plures operationes facere, quia non procederet ab unica qualitate, sed a pluribus, et sic faciens actum qualitatis intensum, faceret plures actus, et non unum, quia procederet a pluribus formis remissis, quarum quælibet haberet operationem suam, quæ omnia valde absurda sunt, et inconvenientia.

Si ergo plures partes component unam qualitatem, vel sunt partes integrantes illius, vel essentielles. Essentiales esse non possunt, tum quia sine quilibet illarum salutarum essentia qualitatis ut patet in qualitate remissa; tum quia partes essentielles si component unum per se habet altera se habere, ut materia, altera ut forma, sive ut potentia, et actus, illæ autem partes sive gradus se habent ut formæ, quia informant subjectum, non autem una se habet